

**Dissertatio inauguralis medica de atrophia infantum ex lacte corrupto ... /
[Johann Christlieb Winckler].**

Contributors

Winckler, Johann Christlieb.
Bergen, Johann Georg von, 1672-1738.
Universität Frankfurt an der Oder.

Publication/Creation

Francofurti ad Viadrum : Typis Joh. Christophori Schwartzii, [1728]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/d8pt7x9u>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

2
169

Q. D. B. V.
DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
ATROPHIA INFANTUM
EX
LACTE CORRUPTO,
Quam
AUXILIANTE DEO
&
GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU
in
ACADEMIA REGIA VIADRINA.
PRÆSIDE
N. JOH. GEORG. à BERGEN,
MED. DOCT. ET PROFESSORE PUBL. ORDINARIO,
PRO GRADU DOCTORATUS
UMMISq; IN ARTE MEDICA HONORIBUS ET PRI-
VILEGIIS RITE IMPETRANDIS,
ad diem XIX. Junii An. M DCC XXVIII.
IN AUDITORIO MAJORI
placido eruditorum examini submittit
Autor
JOH. CHRISTLIEB WINCKLER,
Conaria - Magdeburgens.

***** FRANCOFURTI ad VIADRUM,
Typis JOH. CHRISTOPHORI SCHWARTZII, Acad. Reg. Typogr.


МУЖЕИ АНД
ОГУИЛОВ
СА

ЧИЗЯИ СО

ИМПАССИ

СИЛЛАСИ

ИАНОНН ИЛЛЕОН



THESIS I.



hema inaugurale ex legum aca-
demicarum præscripto medita-
tus, idq; pro summis in arte a-
pollinea, riteq; impetrādis ho-
norib9, tale in primis eligendū
esse censui, quod in Praxi non
infrequenter occurreret, neq;
minus accurato scrutinio di-

gnūm foret. Quare de **ATROPHIA INFAN-**
TUM EX LACTE CORRUPTO, affectu Pra-
cticis non ignoto, iisque plurimum subinde nego-
tii facesente, agere constitui, atque ita quidem,
ut affectus hujus genuinam indolem, veramque
causam, cum symptomatibus & signis suis, rite de-
scribam, quo Medicorum ad morbum curandum
accessitorum quisque ex plena morbi cognitione
statim prævideat, quantum opis & auxiliī misellis
infantibus præstare valeat.

TH. II.

Quid autem Atrophia sit, quidque per illam in-
telligam, fugere potest neminem, qui græcæ lin-
guæ gnarus, ipsum vocabulum paulo attentius con-
siderat, denotans scilicet nutritionis defectum, ces-
sationem aut imminutionem, derivatum ab α priva-
tivo, & verbo $\tau\mu\sigma\Phi\omega$, nutrio, ita ut vi vocabuli atro-
phia nihil significet aliud, quam non nutritio. Unde

A 2.

mihi

mihi non injuste species tabis est tenellis infantibus adhuc lactentibus, ad modum familiaris, quibus si cuti ex lacte vitiato & corrupto frequenter accidit, ita idem hic morbus alias omni fere ætati, licet aliunde exortus, communis itidem est. v.g. pueris, Pædatrophia, a dyspepsia, vitiis & morbis ventriculi, alimentis crudis & dyspeptis, plerumque orta *vid.* *Theodor. Zwingeri Pædojatrejam Practic. obs. CXVI. p. 457.* 458. Juvenibus & mediæ ætatis hominibus, hec tica ex pravo viscerum statu, ex ulceroso in primis pulmonum, phthysica tabes; Senibus ab extrema partiū solidarum siccitate, tabes quasi naturalis, marcor, sive marasmus senilis. Quarum totidem atrophiae specierum, ad commune genus referendarum, obiter hic loci mentionem facio, specialius hac dissertacione de atrophia infantum ex lacte vitiato tantum acturus.

TH. III.

Definio igitur hanc atrophiae speciem, quod sit infantū macies & contabescentia, qua non obstante, quod quotidie vel matrum, vel nutricum lac, nutrimentum infantili ætati conveniens, & proprium, copiose & satis avide sugant, nihilominus, corpore & membris omnibus, flaccidi & macilenti evadant toti, cute in artubus ob consumptam muscularum substantiam rugosa & plicatili existente, ventre inflato, tumente, ad renitentiam leviter indurecente, cum alvi successibus liquidis, copiosis ipsisque excrementis alvinis viscidis, roscidis, subviridibus, ex parte subinde coagulatis, caseofisis, acidum spirantibus, totis quasi corruptis exclusis, cum perpetua inquietudine, & ingenti languore, sœpi-

sæpius sine febre, aliquando cum febricula admodū levi. Estque in prima generatione sæpe leve adeo morbi initium, ut a plerisque vix animadvertisatur, in progressu vero, ab omnibus plus quam manifeste cognoscatur. Morbo huic, tenelli infantes, toto illo, quo lactent, tempore obnoxii sunt, videoasque alios primis quatuor ætatis mensibus, alios longe serius, & quidem pridem satis obesos, beneque nutritos, tandemque nihilominus hoc malo corruptos, nutritionem hoc tempore, cum insigni alias corporis augmento conjunctam, penitus impedi-
ente.

TH. IV.

Differentiæ ratione morbum distinguere licet ab atrophia infantum, à Crimonibus sive comedonibus, germanice die Mitt-Effer / dorsalibus quasi verminibus, cum infante communi nutrimento utentibus, producta, quorum existentiam licet in dubium vocet. Frid. Hoffmannus Method. Med. Lib. I. Cap. XIX. vivos tamen ope microscopiorum vidisse sese asserunt Mich. Ettmüllerus, & Joh. Dolæus, qui posterior horum desuper peculiarem formam satis accurate describit. vid. ejusdem Encyclopæd. Med. L. VI. Cap. XII. p. 586. Quin & alii existimant, à cohibita transpiratione sordes cutaneas, temporis diuturnitate collectas, verminosas tandem fieri posse, insinuante id ipsum Dan. Sennerto Prax. Med. Lib. II. p. m. 387. quam litem hic meam non facio, sed aliis potius dirimendam relinquo ; Neque minus affectus hic discrepat à Rachitide, quæ quandoque atrophiæ soboles & consequens, nunquam vero infantibus connata est, sed plerumque ante nonum ætatis

mensem, vix unquam post biennium, tempore potissimum intermedio, teste *Herm. Boerhavio* tenellos corripit, qua præter partium carnosarum laxitatem nimiam, & lentam extenuationem, ossa intorquentur, incurvantur, caput solito fit grandius, pectus angustatur, sternum acuminatur, cum artuum articulationibus nodosis, quibus indiciis evidenter rachitis ab atrophia discernitur: Tandem quoq; atrophia est vel *universalis*, vel est *particularis*, illâ totum corpus exarescit, hâc vero aliqua tantum determinata corporis pars, vel à vitio nervorum, vel vasorum sanguiferorum, fluidorum circulationem intercipiente, vel membra alicujus luxatione, aliisque præternaturalibus causis producta, à Medicis plerumq; aridura, germanice *das Schwinden* dici solita, confer. *Joh. Hartmanni Prax. Chymiat. Part. post. Cap. CLXXXV.*

TH. V.

Morbi Ætiologiam rite traditus, ad causam in fronte dissertationis assertam, merito nunc reflecto; scilicet ad lac vitiosum & corruptum. Quod vero & quale lac proprie corruptum sit, vix a me demonstrabitur melius, quam si ostendero, qualis (I) humor lac humanum, quæ ejus materia, utrum sanguis, an chylus, ex quo generetur, sit, curque nutrimentum commune infantum recens natorum audiat; (II) quod lac genuinum, laudabile, & proprie salubre sit, quod vero dici debeat corruptū, quæq; hujus corruptionis causæ, tam in matre, nutrice, quam infante, recte in medium afferri queant. His enim omnibus rite præmissis, uti rectum est norma obliqui, ita lac naturale & inculpatum, ad præternaturale & corruptum

ruptum & depravatum, non incongrue referri, atque utriusque differentia distincte perspici ac cognosci poterit.

TH. VI.

Est ergo lac naturale, maternum humor albicans, emulsionis instar, mediocriter crassus, subpinguis, ex glandulis mammarum à sanguine arterioso secretus, saporis grati, sui generis dulcedinem a saccharina diversam referentis, inserviens infantibus recens natis nutrientis & alendis. Humor hic, quā primum grāvida peperit, in mammis sensim uberiorius colligi incipit, partu etenim edito, uterus virtute sua tonica sese constringens, maximam sanguinis aliorumque humorū, fœtus alendi gratia eo graviditatis tempore confluentium, colluviem ex vasculosa sua textura exprimit, lochia sic dicta, siue purgamenta uterina. Ne vero recens exclusus infans, blando suo, quo in utero alebatur nutrimento, propterea destituatur, prædictā uteri stricturā, arcano quasi uteri cū mammis consensu, ultronea vasorum mammarum dilatatio consequitur, quandoquidem eo potissimum succi superflui coguntur, ubi plus convenientiæ, minus autem resistentiæ offendunt, quod nusquam in toto corpore, nisi in mammis inveniunt, quarum arteriolæ ductusq; latiferi, molli & pulposæ mammarum substantiæ undiq; immersæ sunt; id quod verā subministrat causam, cur succi alibiles ab utero, per arteriarum mammarum internarum, ab arteriis subclaviis oriundarum, cum arteriis epigastriis mutuam anastomosin ad mammae trahi, quasiq; rapi ab aliis dicantur. Primis puerperii diebus humor in mammis collectus

lectus, lac quasi imperfectum, colostrum, sive lac concretum, esse videtur. Cujus usum quamvis inter alios Francisc. foel prorsus disuadeat, ceu infanti noxium, vid. ejusdem *Prax. Med. Lib. IX. Sect. I. p. m. 408.* nihilominus plurimi cum Dan. Sennerto *Lib. de Morb. Infant. Part. I. Cap. I. it. Mich. Etmüller* in suo valetud. infantil. idem colostrum, ceu blandum evacuans ad expurgandum meconium, impune præbendum suadent. Præterlapsis vero aliquot diebus, continuato non tantum, sed aucto etiam vasorum attritu, & subactu, tandem lac verum, albicans homogeneum, satisque copiosum in mammis elaboratur, quo primis quatuor mensibus sat commode nutritur & vivit infans, donec in progressu aucto aliqualiter corporis robore, cum lactis usu, simul asfuescat variis pulmentis, ex mica panis albi, farina amyli, cum lacte & tantillo sacchari penidii confectis, tanquam alimento paulo solidiori. Quæ omnia lactis materni ortum, in mammis, satis abunde declarant.

TH. VII.

Qualis vero lac, respectu ingredientium & contentorum, humor sit, & ex qua materia speciatim conficiatur, nunc paulo exactius disquirere convenient. Primo adspectu lac simplex & homogeneum videtur esse fluidum, cujus tamen partes, ex quibus componitur, re ipsa admodum inter se diversæ deprehenduntur. Easdem ad quaternionem elementorum humorumque corporis humani, jam retulit Pet. Gassendus, inquiens, lac in sua temperie, aerem, seu sanguinem, butyrum, ignem seu cholera, serum, aquam seu pituitam, caseus, terram seu melancholiam refert. vid. ejusdem

SS (9.) SS

dem exercit. in Fludd. Philos. Part. II. Cap. XVT. Cardanus
 de sanitate tuenda Lib. III. C. XI. Alii sex partes alii & plu-
 res statuerunt. Mihi quod veritati magis consentan-
 num, & per varia experimenta dudum demonstra-
 tum est, præ cæteris probatur. Lac nimirum con-
 stare ex parte (1) pingui & oleosa, proprie butyra-
 cea, juxta aliorum assertionem, temperamenti ratio-
 ne, calida & humida (2) ex parte aquosa, serosa, fri-
 gida & humida (3) ex parte blande salina, calida & sic-
 ca, cuius interventu oleosa pars cum aqua intimā
 subit miscellam, cuius causa serum lactis ipsum cali-
 dum & siccum jam pronunciarunt. Avicenna Cap. de
 lacte, & Mesues Lib. III. de aliment. facult. Cap. XVI.
 quamque salinam partem Fabric. Bartholett. in Encyclo-
 ped. Hermet. dogmat. p. 400. ex sero lactis educit, vo-
 catque mannam, sive seri nitrum, quod prioribus
 oleosis aquosis nuptum, lacti conciliat vim abster-
 gentem, resolventem, ulcera interna purificantem,
 ophthalmiam, phthysin, scorbutum aliasque mor-
 bos chronicos, a pravitate succorum alcalica, item
 que occultos à stasi viscida inflammatoria oriun-
 dos, mirifice curantem, de quo nitro plura videoas
 in Joh. Jac. Fickii Dissert. de saccharo lactis Cap. III. art.
 2. habita jenæ 1713. Quibus (4) nonnulli recentio-
 rum superaddunt partem subtiliorem, spirituosam,
 lacti calido ex mammis hausto, non item cocto vel
 frigido nonexistentem, his potissimum argumentis
 fulti, quod nervi fere innumeri ex plexu nervorum
 circa claviculas, pari quinto spinali, mammae, sin-
 gulasque harum glandulas subeunt, motui & sen-
 sui non adeo hic, quam quidem alibi, inservientes,

B

qui-

*Ex parte tenui et ca-
da, frigida et secca*

quibus compressis vel plane obstructis secretionem turbari tardiusque procedere jam pridem notarunt *Thom. Warthon. Adenograph. Cap. XXVI. Ant. Nuck. in Adenograph. sua curiosa, & Gualth. Needham de format. foet.* Porro quod lac calidum suctione haustum, debilibus & languidis notabiliter restituat, quod in iis deficit maxime, scilicet robur viscerum horumq; functionum vigorem, prouti phthisicis recens multum, vel ex mammis haustum longe efficacissimum praesidium, & specificum remedium est, imo in hysteris plurimum boni praestitisse quoque testis est *Sydenham. in Dissert. Epist. ad Guil. Cole de affect. hysteric. item Christ. Langius in Dissert. de requisit. bon. nutrit. artic. XXIX.* pro quarum modo recensitarum partium justa temperie, & proportionata inter se miscela, lac blandum & admodum temperatum constituit humorem nutritum.

TH. VIII.

Ex qua materia, eaq; proxima lac fiat & generatur, quæstio inter Medicos dudum est agitata. Aliis ex sanguine menstruo, in gravidis & lactantibus ordine plerumque naturæ retento. vid. *Claud. Galen. Lib. XIV. de usu part. cap. VIII.* aliis ex sanguinis sero, aliis ex chylo & sanguine id confici & produci asserentibus. In quorum assertiones sine prævio rei examine ire mihi vix licitum est, nisi promiscue falsum pro vero amplecti velim. Lac, quod alii propterea sanguinem dealbatum dixerunt, vid. *Ambr. Paræum Lib. de Generat. hom. Cap. XXI.* ex sanguine, quo minus credam, gigni, sequentibus de causis impedior (i) sanguinis pars essentialis est fibrosa, lac ve-

ro parte hac penitus caret, (2) lac in loco tepido stagnans acescit & coagulatur totum, sanguis putreficit, atque in foetidum liquamen resolvitur (3) puerperæ ingentem saepe sanguinis copiam effundunt, lactis tamen nullus inde sentitur defectus (4) in lactantium plurimis secretio lactis tam copiosa existit, ut siquidem primaria ejus materia sanguis esset, haec sine notabili virium jactura impossibilis foret (5) neq; assertu hoc ullenus probat sanguinis sinceri subinde observata ex mammis suetio, arguens tantum ductuum lactiferorum insolitam dilatationem (6) Hippocratis aphor. XXXIX. Sect. V. quod simulier, quæ nec peperit, nec utero gerit, lac habet, ei menstrua deficiunt, generaliter verus non est, quandoquidem prostent exempla plethoricarum, quibus lactantibus regulariter menses fluxerunt (7) sanguis a chymicis destillatus largitur phlegma, plurimum salis volatile, oleum foetidum & terram, quorum omnium vix ullum prodit e lacte recenti, inodoro, sed plura longe ab his prorsus diversa & dissimilia; nam lac recens blande destillatum exhalat, suppeditans serum lactis limpidissimum, odorem & saporem lactis ex parte referens, ubi vero lac non recens fuerit, sed jam aciditatem contraxit, aliquot etiam guttae in destillationis progressu acidæ prodeunt; residuum vero igni reverberii ustum fuggerit oleum crassum, nigrum foetidum, spiritum tenuiorem ejusdem odoris, saporis minus ingrati, ex quibus tamen nulla arte quicquam salis volatile elicias, licet aliquid salis fixi, restitante pauca terra, conf. Phil. Verheyn Lib. II. tractat. I. cap. 13. (8) Lac per micro-

scopia conspectum recens constare videtur e globulis seorsim positis, quorum plures simul compactione juncti faciunt unum globulum lacteum, qui soliditate globulis in sanguinis sero natantibus cedunt plurimum, *vid. Anth. Loewenhoek. Epist. XXXIII. 1680.* (9) plane non sequitur quicquid e sanguine per modum secretionis prodit, illud sanguinem constitueret: multa enim talia in corpore occurrunt, quæ a sanguine plane sunt aliena & toto cœlo diversa.

TH. IX.

Neque serum sanguineum lactis proximam materiam esse, ut credam, facile induci possum, idq; vel ideo, quia (1) serum sanguinis subflavum, leviter falsuginosum est, cuius falsedinis portio abundans, naturæ inutilis, ad putredinem valde proclivis, excrementitia in renibus a sanguine separatur, lac vero coloris candidi, saporis semper sub dulcis & grati est, (2) serum sanguineum ad ignem abit in gelatinam, concrescit & inspissatur totum, fitque tandem glutinosum, lac vero blande exhalat, nihilq; in residuo glutinosi sed multum coaguli acidi relinquit.

TH. X.

Chylum vero materiam lactis præbere proximam, videtur valde probabile, quandoquidem hic magnam cum ipso lacte convenientiam habet, quod tamen a chylo in aliquibus manifeste dispare, & propterea ambo hæc, pro uno eodemque humore haberi nec posse nec debere, multis rationibus convincor; Etenim utriusque liquoris convenientiam aperte satis docet (1) ocularis inspectio, qua uterque

terque lacteus ab omnibus dicitur. (2) chyli generationis & distributionis tempus, dum quatuor vel quinque a pastu horis, sanguis vel ex vena vel ex arteria detractus, magnam chyli lactescens, crux innatantis, portionem exhibet, longiori vero post pastum intervallo venesectione facta, loco chyli lactescens serum sanguinis solitarium, flavum, falsum conspicitur. *vid. Thom. Barthol. de lacteis thoracis Cap. 13.* it. *Histor. anat. Cent. I. Hist. XVII.* it. *Pet. Borell. Obs. med. Cent. I. obs. XXV.* (3) Multo brevius etiam temporis momentum in lactantibus, uno plerumque ore patentibus, quod lac a pastu illico in mammis augeri sentiant, proindeque cibis modo assumptis infantibus non invite mammae porrigant, (4.) ingestorum variæ & diversæ qualitates, quæ potenter & vegetius longe per chylum lac alterant, quam in ipsum agunt sanguinem, certo argumento, chylum non adeo profunde, nec intime sanguini admixtum, multo minus eidem jam assimulatum ad mammae transire, hincque pro varietate assumptorum lac sœpen numero variare, licet mutatio in ipsum usque sanguinem non perveniat.

TH. XI.

Quanta vero cunq; chyli cum lacte convenientia, ex his perspicua sit, chylū tamen propterea cum lacte confundere, lacque pro chylo & chylum pro lacte accipere vix ausim, cum utriusque insignem inter se discrepantiam esse doceant sequentia. Et quidem (1) chylus in ipso receptaculo aliquanto falsior præ lacte mammarum, teste *Richard. Lowero Tract. de Cord. Cap. de chyl. in sanguinem transmut.* (2) Lac ipsum

colore magis album, sapore dulcius, consistentia quodammodo crassius, & spissius, (3) Chylus ipse nec parte caseosa, nec pinguedinosa, adeo, ut lac, abundans, partem enim oleosam, per singulares adiposæ mammarum substantiæ ductus, chylum copiosiorem suscipere multorum fert sententia, quam obscure *Hippoc.* jam confirmat lib. de natura pueri, inquiens, dum mammæ exsuguntur, venæ, quæ ad eas tendunt ampliores factæ, quod pingue est a ventre attrahunt & in mammas transmittunt, quam itidem, licet dubiam adhuc, proponit. *Marc. Malpighius Tract. de omento & adiposis ductibus,* his verbis: *an ex adipe in mannis lac fiat, dubitari potest, quoniam circa mammarum glandulas pinguedinem multam in nutrientibus colligit natura, non ad solam pulchritudinem: unde videmus in lacte genito, multum butyri extrahi, multoque etiam superstite pingui, in caseo & oxigala.* Unde sine dubio lacti color magis candicans majorque dulcedo præ chylo constat (4) globuli lactis per microscopium visi, chylosos densitate superant, unde substantiā spissiorem lac ad caseum conficiendum acquirit.

TH. XII.

Ex his rite præmissis, uti qualis humor lac sit, & ex qua materia generetur, clare liquet, ita jam ratio reddenda venit, cur idem optimum, unicum & commune infans recens natorum audiat nutrimentum? fœtus in utero ex ovulo dum generatur, prima corporis vasorumque omnium stamina habet tenerima, quibus necesse est, respondeat succus ad vitam, quam incipit, producendam aptus, naturæ suæ congruus, scilicet blandus & tenuis.

nus. Succum hunc præparant arteriæ uteri lym-
phaticæ, ab hypogestricis & spermaticis arteriis o-
riundæ, quemque copiosum, ptisanæ similem, sero-
sum, lactescentem, omnes vero sub dulcem, partibus
nutritiis maxime refertum observarunt, *Marc. Mal-*
pighius tract. de utero; Regner. de Graaff de organo mulie-
rum generat. Casp. Bartholinus de ovar. mulier. Joh. Bohnius
circul. anat. progymn. II. Frid. Ruyshius Thesaur. anat. II.
Artic. LXI. qui laetè longe tenuior glomere vasorū
umbilicaliū & quidē superficie uterū spectātē, sulcata,
qua tunica succosa, villosa, instar tunicæ intestinorū
villosæ firmiter connata cingitur, suscepitus per ve-
nam umbilicalem transmittitur ad fœtum, quem
usque ad partus & nativitatis terminum blandissi-
me nutrit, conf. Frid. Ruyshii thesaur. anat. V. artic.
XVIII. it. XXVI. Fœtu autem excluso, corporeque
& grandiore & solidiori facto, opus erat nutri-
mento quoque paulo crassiori, pinguiori, quod
provida natura in mammis sub titulo lactis in gra-
tiam recens nati infantis colligit, quo tam diu nu-
tritur, donec duriori alimenti generi assuetus,
deinceps sine lactis usu vitam per plures annos pro-
ducat.

TH. XIII.

Restat jam (II) ex thesi quinta dilucidandum,
adhuc, atque paulo specialius determinandum, quod
lac in se bonum & laudabile, quod vero vitiosum
& corruptum dici beat, porro, quæ utriusque
quibus dignoscatur, sint indicia & notæ, quæque
tandem corruptionis causæ adduci queant. Lac
ergo bonum & laudabile describitur, quod sit omnis
hete-

heterogeneæ qualitatis expers, blandum, mite, substantiæ mediocris, pringuis, blande lentescentis, coloris albi splendidi, saporis dulcis, grati, odoris fere nullius, ad minimum non ingratil, potius suaviusculi, facile in tempore detentum acescens, prompteque in tres partes suas essentiales, scil. oleosam, levem dulcem, serosam & aqueam, crassam, & caseofam secedens, cuius guttula super speculum vel unguem effusa, non diffuit, sed quasi immota subsistit, signo optimæ consistentiæ & coctionis; cito diffluens, indicio nimiæ serositatis & tenuitatis; inclinato vero speculo, vel ungui pertinacius adhærēs, signo nimiæ crassitiei & viscitudinis est, de quibus vid. Franc. Joeliis Prax. Med. Lib. IX. Sect. I. pag. 498. de morb. infant. Joh. Varandæus Oper. Med. Lib. III. cap. II. p. 634. Joh. Dolæi Encyclopæd. Med. Lib. VI. Cap. XII. pag. 586. de morb. infant. Ad bonitatis signa non minus pertinet lac per vias urinarias in infante facile & copiose transiens, alvi excrementa bene cocta & naturalia relinquens, in ventriculo facilē coctionem subiens, ipsumque infantem probe nutriendis, & quidem præ lacte nutricum mercenariarum, quodlibet maternum, infanti nutriendo magis conveniens est, idque recens magis, quam vetustius, quod longe magis quam lac ullum ex conducta nutrice, quamvis maximo studio selecta, nutrimento pusilli texturæ suæ ratione convenire testatur, Christ. Langius in Dissert. de requisit. bon. nutrit. præfat.

Th. XIV.

Lac vero vitiosum & depravatum a qualitatibus prædictis recedens, & quo magis, hoc semper de-

deterius judicatur, scil. quod peregrini coloris, flavi, sublividi vel pituitosi est, quod lintermina lacti pri-
dem imbuta, & in umbra siccata, vario tingit co-
lore, quod saporē est falsi, acris, interdum amari-
cantis, tormina sāpenumero ventris inducens a-
trocia, vid. *Theoph. Bonettum Med. septentr. Lib. IV. Secē.*
IX. pag. 64. 165. os internumerodens, mammae exul-
cerans, imo nomas subinde inferens, vid. *Lud. Mer-
cat. de affect. mulier. Cap. XVII. pag. 526.* quod odoris
est viroſi fœtidi, & partim vomitu ſæpe coagulatum
acidum, partim caseofum, roſcidum, cum ventri-
culi inflatione, borborygmis ventris, hypochondri-
orum tensione, alvi fluxu rejicitur, excrementis
prodeuntibus colore obscuris, ex flavo viridescenti-
bus, acidū vel corruptā acrimoniam spirantibus, a-
num ob corrosivam qualitatem excoriantibus, lin-
termina virore pertinaciter tingentibus, vasque i-
psum, quo excipiuntur, æneum insigniter, corrosivi
liquoris instar, arrodentibus. vid. *Joh. Waldschmid
Oper. Med. Colleg. Pract. ad Cas. Medicinal. Tim. a Gülden-
klee pag. m. 572. 573.*

TH. XV.

In causas hujus corruptionis ulterius nunc
inquirens dupliciter illas considerari debere facile
adverto, scilicet; intuitu partim lactantis, partim
ipsius etiam infantis. Causæ in corpore lactan-
tis lac depravantes, sunt multiplies & quidem fe-
quentes (1) prava sanguinis & succorum constitu-
tio, cacheetica, scorbutica, phthysica, venerea, unde
simili labe lac facile inquinatur, & infantis nutri-
mentum corrumpitur, sicuti lactantis lue venerea

infectæ morbum infantι communicatum eundemque matre mercurialium usu per ptyalismum curata, feliciter simul sublatum, novit Cl. D. Præses. Imo nutricis lac sola, phthysicæ suctione clam parentibus facta, adeo alteratum fuisse, ut in infante cæteroquin sano atrophiam produxerit notat. *Theod. Zwingerus Pædajatreg. Pract. Obs. CLXV. p.m. 714. 715.*

(2) animi gravia pathemata, terror, iracundia, mœros, lac mire alterant & contaminant, gravi sæpe lactentis damno, prouti filiola sex septimanarum a lacte matris terrefactæ totam languidam factam, referunt, *Ephem. N.C. Dec. II. A. IX. Obs. XXV. p.m. 7.* it. filiam duorum mensium epilepticam, & post octo horas mortuam a lacte matris iracundia fortiter commotæ, *Ephem. XI. Dec. II. A. II. Obs. CLXXIII. p. 387.* Cui casui plane analogum alium in nutrice ex iracundia oestro mammæ sinistræ tumore erysipelaceo affecta vidit. Cl. D. Præses, quæ dum filiolο sex septimanarum, alias sano, intumefactæ mammæ lac præbet, hic vix præterlapsis sex vel octo horis vehementi epilepsia correptus moritur.

(3) Ingesta varia, acida, salsa, acria tam alimenta, quam medicamenta, lac itidem insigniter mutant; constat enim lac nutricis, quæ vinum copia maxima potaverat, infantem totum inebriasse. A raphano rusticano a nutricibus comesto tormina & ventris inflationes lactentibus illatas notat *Christ. Langius in Diff. de requisit. bon. nut. Artic. XXIX.* Ex absinthii nimio usu lac absinthites in puerpera, torminū in corpore infantili causam observavit *Thom. Bonnettus Med. Septentrion. Lib. IV. Obs. XI. p. m. 160.* A nasturtio

sturtio aquatico, cum vino rubello nostrate contrito a matre juvencula contra scorbutum sub prandio embammatis loco suasu aniculæ largiter sumpto infantem duorum mensium vehementissima ventris tormina, lactisque acerrimam corruptionem contraxisse plus una vice comperit Cl. D. Præses. Odorem & saporem alliorum, ceparum in lacte manifeste deprehendi testis est experientia. Lac in sipedum ac male olens a fumis metallicis suggerunt *Ephem.* *N.C. Dec. I. A. II. p. 143.* Crocum & rhabarbarum lac flavedine tingere *legas in Ephem. N.C. Dec. VI. p. 27,* in quibus exemplum exstat nutricis, quæ contra melancholiæ parva copia succi hellebori nigri usæ per lac, succo hoc imprægnatum, infantem ad mortem usque purgavit, nullo pharmaci effectu in nutrice edito, (4) Victus liberalior vitaque simul sedentaria lac graviter corrumpunt, ob multas partes excrementitias ex imminuta transpiratione, cæterisque excretionibus lacti commistas. *vid. Frid. Hoffmann. Med. Consult. Part. I. p. 276. 277.* (5) Menstrua, libidinosæ lactantium cogitationes, vel ipse furtivus concubitus lac ejusque temperiem enormiter alterant, nam licet in carnosioribus interdum fluxus hic periculo vacet, id tamen fit rarius, longe vero frequentius accedit, ut versus hoc instans mensium tempus, aut fluxu durante infantes evadant inquieti & valetudinarii, quoniam opus generationis lactis interturbatur & lac non nisi fœculentum & impurum colligitur; aut si plane conceperit lactans, lac pravas induit vires, & ut *Helmontius* loquitur *Tract. de inf. nutr. ad Vit. Long. ca-*

daverescit, ut sponte etiam infantes lac tale aver-sentur (6) variat lac plurimum pro tempore collec-tionis, breviori namque post pastum tempore v.g. tribus quatuor, vel quinq; horis, lac copiosius & blan-dius scaturit, ultra vero viginti quatuor horas si re-tineatur, loco lactis serosus, falsus, subflavus, brevi-fœtens, infanti abominabilis fluit liquor, teste Re-chard. Lowero Tract. de Cord. Cap. V.

TH. XVI.

Causæ lac in ventriculo iufantis corrumpen-tes variaæ itidem dantur, quibus merito anumeres (1) meconium non rite expurgatum, sed retentum, cuius corruptione tota fistula intestinalis & per con-sensum ipse ventriculus in digestionis opere turba-tur. (2) Lac a nutricibus infantibus affatim, sine in-termissione, præbitum cuius nimia quantitate ven-triculus obrutus sæpe lac sponte revomit, vomitu au-tem deficiente languescit, lac diutius retinet, quod sensim aceſcit ſpiseficit, lenteſclt, donec ad nutrien-dum plane reddatur ineptum, quales lactantes, in-fantem cum laetāt,eundem ſimul mactant. (3) Immo-dicum pulmentorum farinaceorum crassiorum, ni-mio ſaccharo conditorum uſum, utpote quæ lacte difficultius concoquuntur, constantius in ventriculo hærent lactisq; corruptionē inchoāt, pertinacius fo-vent atque ad summū corruptionis gradū deducunt, A laetē ergo, ab his recensitis cauſis corrupto, infans nutritus id damni plerumque reportat, ut in ven-triculi & intestinalium ſumnum languorem, debi-litatem, tandemque glandularum mesenterii ob-ſtructionem incidat, ſicque chyli amplius nihil ad fan-

sanguinem transmittatur, unde hæc infantum atrophia veram suam habet originem, id quod Joh. Dolæus in *Encycloped. sue Med. Lib. VI. de morb. infant.* Cap. 12. abunde satis confirmat, inquiens, *quotquot hoc affectu affectos aperii, in iis glandulas mesenterii tumidas & obstructas reperi, denegato enim sic nutrimenti transitu, necessario partes necare suo rorido privantur.*

TH. XVII.

Signa diagnostica superius in morbi definitio-
ne Thesi III. longa serie jam sunt enumerata, qua-
re iis recensendis plurib⁹ heic non immoror, sed B.L.
eo remitto. Id unicum tantū silentio non prætereun-
dum esse censeo, nimis. prima lactis depravati & i-
psi⁹ morbi signa ex infantum inquietudine, lan-
guore ventriculi ejusque coctionis læsione, sœcum-
que alvinarum præternaturali conditione sese ordi-
narie manifestare, unde non absone, *notæ in ventri-
culo intemperato lactis corrupti sunt, ructus frequentes acidi,
si ventriculus frigidior, nidorulenti, si calidior existit; id
ipsum alumnae præsentient ex solo halitu infantum, peros emis-
so; ubi enim lac crudum & inconcoctum remanet, vapor acidus
sin exuratur, nimium torridus & acer elevatur, scribit Johan.
Varandæus Oper. Med. Lib. II. Cap. II. p. 635.*

TH. XVIII.

Prognoseos ratione, uti in omnibus & tantum
non in cuiusvis ætatis morbis, quo vegetus magis,
& valentior fuerit ventriculus, hoc melior semper
morbis perandus est exitus, utpote qui verus in œco-
nomia corporis promus condus est, quo ægrotan-
te reliquæ ægrotant, bene autem constituto, opti-

me valent omnes, ita maximopere in infantum ætate tenella, ad languorem & vitium ventriculi respiendum est. Proinde, si quidem lac vel matris, vel infantum culpa corruptum ventriculi non admodum magnam atoniam, vel quamcunque læsionem, levem mesenterii ejusque glandularum infarctum intulerit, spes curationis aliqua affulget. Ubi vero prædictus infarctus, in scirrhosam duritiem glandularum jam degeneraverit, ut contactu ventris externi tubercula nodosa sentiantur, chylicatio chyli, per lactea vasa ad ductum thoracicum perque hunc ad sanguinem propulsio prorsus intercepta & impedita sit, prognosis difficilis, malæ notæ, imo ordinarie lethifera erit, unde quo minus malum fuit radicatum, hoc feliciorem interdum opem medicam admittit.

Th. XIX.

In curatione atrophiæ infantum tam matris vel nutricis, quam infantis ratio semper habenda est. Laetantis culpa & vitio, si lac vitiosum fuerit, hoc modis omnibus corrigere, ac periculum inde redundans in infantem provide & judiciose avertere tentet Medicus, præscriptis potissimum vitae diætæque talibus regulis & præceptis, quibus speret, se finem & scopum suum rite attingere posse. Aut si vitium fuerit insanabile, causæ plane insuperabiles, sine mora lactanti nova substituatur alumna, observatis studiose omnibus iis, quæ Christ. Langius in *Diss. de requisit. bon. nutrit. medentibus* hoc fine commendat.

Th. XX.

Infantis autem vel ejus ventriculi vitio, si atrophia

phia metuenda sit, & quidem ex pravis acidis, au-
steris, acribus viscidis primarum, quibus plerumq;
scatent, succis, hi remediis appropriatis cum internis
tum externis corrigendi, totaque fistula intestina-
lis ab hac corruptorum humorum colluvie quanto-
cyus liberanda est ; Cum autem scopo corrigen-
di salina contrariæ indolis remedia, quæ ceu nimis
activa tenella ætas non fert, in usum vocari ne-
queant, mitioribus res tentanda est. Quo nomi-
ne omnis generis terrea, insipida, absorbentia, acri-
moniam acidam obtundendia locum præ aliis ha-
bebunt, v.g. ex Matr. perlar. ppt. Cryst. mont. ppt.
Corn. Cerv. ust. præparat. philos. præparat. Unic.
foss. Unic. Marin. præparat. Ebor. præpar. Corall.
rubr. ppt. Ocul. cancr. ppt. & s. pulveres, ad gr. X-
XII. bis vel ter cum lacte exhibendi, quibus pulve-
ribus ad flatulentiam & viscidum resolvendum si-
elæofacch. anis. fœnic. gr. j. vel alteruin addatur, pul-
veres prædicti tanto efficacius agent. Hanc vero
humorū correctionem internis dum molitur Medi-
cus, his externis in subsidium venire non negligat,
qualia sint linimenta & emplastra stomachica. Pri-
ora ex oleis coctis cum destillatis remixta externe
ventriculo calide illiniantur; & quidem ex oleis c.
menth. carv. aneth. anis. cham. rom. cum oleis
destillatis carv. fœnicul. calam. aromat. mac. an-
gelic. zedoar. caryophyll. lign. sassafr. pro lubitu
guttatum permixtis. Inter emplastra sint empl.
Stomach. Craton., empl. Carmin. Sylv. de bacc.
laur. quæ cum prædictis destillatis oleis leniter
malaxata ventriculum egregie calefaciunt, robo-
rant,

rant, viscidosque & flatuosos succos resolvunt.
 Scopo autem evacuandi, quamvis non ignorem pa-
 sim a Practicis Mercur. dulc. cum saccharo ad gr. I.
 vel ij. it. diagryd. ad gr. ij. rad. Jalapp. ad gr. iv.
 commendari, illa tamen mercurialia & acria resino-
 sa, quum sint minus tuta, in usum trahere vix au-
 deo. Illorum loco potius sint syrapi blande laxantes
 ut Syr. rosar. solut. syr. Cich. c. rhabarb. fl. persicor.
 de manna; vel Clysmata emollientia ex flor. cham.
 r. Samb. Herb. malv. alth. melitot. parietar. mercurial.
 cum sacch. thom. & ol. carvi iteratis vicibus in-
 jicientur, quæ minori longe periculo alvum subdu-
 cunt. Ubi autem non levis suspicio jam fuerit fa-
 eti glandularum tam intestinalium, quam mesente-
 rii infarctus, id quod ex viribus admodum pro-
 stratis, ex lenta & paulatina corporis consumptio-
 ne artuumque insigni flaccescentia facile constat,
 cum præmissis balnea tepida emollientia, blan-
 de resolventia, fomenta, pediluvia, olea externa &
 similia usurpentur Balnea fiant ex aquæ & lactis
 dulc. p. æqual. quibus caput, pedesque veryeis cum
 fol. foli. rubr. item fl. chamom. rom. herbæ emollien-
 tes sem. lini alth. malv. & similia sint incocta, aut ex
 his fomenta & pediluvia, alternis vicib⁹ fiant; Abdo-
 men inungatur calide oleo ex pingued. capon. butyr.
 rec. maj. insulf. oleo fl. verbasc. linar. althææ & si-
 milibus, ad quorum iteratum usum nisi brevi blan-
 da sequatur partium obstructarum reseratio, nec
 redeat corporis vigor, morbus omni medi-
 cina major & incurabilis cen-
 sendus est.